



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

xij. De Vita & honestate Prælatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

DE VITA ET HONESTATE Prælatorum,

TITVLVS XII.

Qui præcellit dignitate, debet & innocentia præcellere. h. d.

eam. unū orariū. uers. oportet epi scopum. distim. 25.

Debet igitur Episcopus esse sine crimine, & cūctum populum cui præest, conuersatione & innocentia præcellere. Qualis enim erit ædificatio discipuli, si se magistro intelligat esse præstantiorē? nam Episcopus instruere, & admonere omnes debet: nemo autē rectē monitoris personam suscipit, nisi qui moribus suis aliorū errata condemnat. Quod non solum de Episcopo, sed etiam de omnibus qui domui Dei deferuiūt, intelligi oportet: Quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, quā clericos: quæque in alijs membris Ecclesiæ vacant à culpa, sæpè in Sacerdotibus habentur illicita.

Episcopus cauere debet ab improborū commercio, & in corrigendo non minus charitatem, quàm potestatem exercere debet. h. d.

Ab improborum quoq; commercijs abstinebit: Malorum enim consortia bonos corrumpunt. Habebit igitur secum honesti testimonij Clericos, qui possint irreprehensibiles inueniri: & siquādo illos, siue etiam laicos inter se dissidere contigerit, ad pacem magis, quàm ad iudicium compellat: in quæ illis corrigendis plus agat beneuo-

lencia^b, quàm seueritas: plus charitas, quàm potestas: neque dominari magis, quàm consulere subditis cupiat, ne quod prouisum est ad concordiam, tendat ad dissidium.

Prælati in corrigendo debet misere seueritatem lenitati. h. d.

Cum lenitate tamen seueritas miscēda est: Nam misericordiæ multum demitur, si seueritate animo sit destituta: ideoq; Rectorib. inesse debet iustè conflens misericordia, & piè sequens disciplina: ut nec in disciplinæ rigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine districtiōe deserant disciplinæ: quodque seuerius castigare necesse est, non saeuientis plectatur animo, sed menditis.

Prælati nō debet tolerare peruersos. h. d.

Præterea cauendū est, ne peruersè agentes conuiuendo toleret. Culpam enim facientis habet, qui, quod potest, negligit emendare: & error, cui non resistitur, approbatur.

Episcopus orationi & prædicationi debet insistere. h. d.

In primis autem orationi & prædicationi insistat: Nam præconis officium suscipit, quisq; ad sacerdotiū accedit: hinc est, quod super Pastores primos in linguarum specie Spiritus Sanctus insedit. Populum itaq; prædicādo doceat, sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerit, non quæ

cano. licet plerumque. dist. 45.

quæ illi caro, vel humanus sensus suauerit: Ea propter sacris libris iugiter insistere illum oportet: nec enim sufficit Prælati bona conuersatio, nisi addatur scientia doctrinæ.

Episcopus hospitalis esse debet & liberalis. b. d.

b. distin. 42.

Sed nec vtranque sibi sufficere credat: nam largam quoque manum habere debet, & necessitatem patientibus subuenire, alienam inopiam suam credens. Res suas inter histriones, venatores, aut aucupes minimè dispenset. pauperes potius in hospitio recipiat, & faciliùs exemplo suo ad hospitalitatem subditos attrahat.

Prælati debet sobrius esse, prudens & peritus, non solam peritia literarum, uerum etiam negotiorum.

e. dist. 44. in sum. & per totum.

d. distin. 45.

Sobrius sit, non vinolentus: non sit percussor, & ad vindictam facilis: imò in omni genere rerum agendarum prudentiam secum habeat. si enim mancum, aut debilem sancta continere nequaquã lex diuina permittit, quantò magis doni cælestis dispensatores esse nõ conuenit (id quod est deterius) mēte debilitatos?

Episcopus non debet secularibus negocijs se implicare. b. d.

Sicut autem Episcopum nullo errore conuenit inuolui, ita nulla debet cupiditate corripit: & propterea lucri cupidus esse prohibetur, & alicui etiam ho-

nesto negotio, ut sibi victu & necessaria quærat, operam dare. Nam & Dominus negociatores de templo verberatos expulit: & Apostolo teste, nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus.

Pudicitia studiosus esse debet Episcopus. b. d.

Pudicus quoque debet esse, & moribus & verbis pudore præse ferre. Ea propter Maguntino concilio statutum legitur, ut nullus sacerdos fœminas, de quibus suspicio potest esse, retineat: sed neque matrem, aut amatam, aut sororē retinebit: quia & in illis, instigante Diabolo, scelus perpetratum reperitur, aut in pedissequis earum. Itaque domesticarum quoque personarum immoderatam familiaritatem vitabit.

Qualis quis sit interius, debet per exteriora demonstrare. b. d.

Oportet item Episcopum cæterosque Ecclesiasticis officijs mancipatos, per decentiam habitus extrinseci, morum intrinsecam honestatem indicare. & ideò, si præterquam ex causa vrgenti, indumentis, præter ordinis ac officij decorem, præsertim publicè, luxurientur, illorum impudentia varijs modis, non minùs recentioribus, quàm antiquis Pontificum decretis coërcetur. In summa, cum pro populo Episcopi suffragatores ad Deum parentur, necesse est ut omni genere

e. can. 2. 21. q. 3. et per totum.

f. in sum. dist. 43.

g. cap. 1. ext. de cohabit. cleri. et muli.

b. dist. 34. in sum. et per totum.

i. dist. 40. et clem. 2. eo. tit. de vit. et honest. prælat.

virtutum eius gratiam habere nitantur: quia cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI,

TITVLVS XIII.

Archidiaconus est à iure constitutus vicarius, & quasi oculus Episcopi, & inter clericos cognoscit, uisitat, & corrigenda emendat, & ardua ad Episcopum deferret, de cuius licentia poterit etiam excommunicare. h. d.

Voniam verò grauis & lata est Pastoralis officij cura, rectè constitutum est, ut aliqui in Ecclesia sint, qui vnà cum Episcopo onus ferant, & sui Prelati valeant subleuare sollicitudinem. Talis est Archidiaconus^a, qui maior post Episcopum, & eius vicarius reperitur. Cuius vigilatia & solertia vsque ad eò in domo Dei excubare debet, ut oculus Episcopi non immeritò meruerit appellari. Ea propter debet is audire iurgia singulorum, & quæ corrigenda & emendanda viderit, corrigere & emendare. Quòd si qua fuerint ita ardua, quæ per eum commodè nò possint terminari, ad Episcopum suum terminanda deferret. Dispiciet quoque ut Primicerius, Sacrista, & Custos iniuncti sibi muneris sollicitudinem diligenter exequatur. Sed & tertio quoq; anno, si Episcopus non poterit, vniuersam Par-

^a cap. 1. & cap. ad hæc nos. exi. co. tit. & per totum. can. 1. uers. Archidiaconus. dist. 25.

rochiam circuire debet, & cuncta, quæ ordinatione vel emendatione indigere viderit, secundum Canonicas sanctiones corripet: & si Episcopi auctoritas accesserit, excommunicationis etiam sententiam feret.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI,

TITVLVS XIII.

Archipresbyter est vicarius Episcopi, circa diuina, & Archipresbyterorum duæ sunt species. h. d.

Non absimiles Archidiaconis Archipresbyteri habentur: nam & ij Prelati sui circa spiritualia curam subleuantur: b. Horum autè duplex est species: alij enim urbani sunt, alij autè exteri. Urbani sunt, qui Præsulis sui absentis circa diuina in vrbe vicem sustinent, aut præsulis curam minuunt: ut officium inchoando, celebrando, & benedicendo, & cunctis prouidendo, quæ sacerdotum ministerio perfici debent.

Quæ sit potestas foraneorum Archipresbyterorum. h. d.

Exteri sunt^d, qui circa singulas plebes constituti, nò solum vulgi sollicitudinem gerunt: verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumspectione custodire debent: qui licet suis præsint plebibus, ut Episcopus Matri- ci præsens Ecclesiæ: nihil tamen con-

^b can. 1. uers. archipresbyter. dist. 25.
^c cap. officium archipresbyteri ext. eod. tit.

^d cap. sui. no. tit.